



## **Svmma Juris Canonici**

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,  
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,  
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium  
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,  
discussa, & explicata

**Strein, Johann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1658**

LXXXIII. Differentia IX. In computatione graduum cognationis alius Iure  
civili, alius Iure Canonico modus servatur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

In computatione graduum cognationis alius Iure civili, alius Iure Canonico modus servatur. *Bartol. 96. Io. Bapt. à. S. Blasio 23. Galvanus 33.*

**I.** Iure civili recepta gradatio est, ut singulae personae per se gradum constituent. Unde duo fratres sunt in secundo gradu. *P. duorum Inst. De nupt. Iure Canonico autem personae ponuntur in eodem gradu. C. ad sedem 35. Q. 5. Vbi causa assignatur. Quia hereditates nequeunt deferri, nisi de una ad alteram personam, ideo Imperator Iustinianus in singulis personis singulos constituit gradus: At quia nuptiae sine duabus non fiunt personis, Sacri Canones duos in uno gradu personas collocant. Additur utramque computationem idem velle, eandemque sententiam continere. Iustinianus enim usque ad quem gradum consanguinitas perduret, in suis legibus non definit: Canones autem ultra septimum nullam numerant generationem. Iam quod transversales attinet, Jus civile primum gradum non ponit, sed à secundo incipit, in quo constituit fratrem, & sororem, & sic deinceps. *Instit. de gradib. cognation. l. 1. & l. Invis consultus §. 1. De gradib. affin. Deinde permittit matrimonium in tertio gradu, id est, inter fratris & sororis filium, ac filiam. §. duorum Inst. De nupt. l. 3. π. De ritu nupt. At jus Canonicum primum gradum habet, in eoque constituit fratrem & sororem, in secundo fra-**

tris & sororis filium, ac filiam, & sic deinceps. Idque propterea, quia inter fratrem & sororem est prima causa contrahendi matrimonium per naturam, ut initio mundi factum est. *c. Cum igitur 35. Q. 1. c. ad sedem. c. parentale. 35. Q. 5.*

**II.** Inter hos transversales olim prohibitum erat matrimonium usque ad septimum gradum, hodie ad quartum usque inclusive prohibetur. *c. Non debet Deo sang. & affin.* Jus civile autem, ut diximus, rationem hereditariae successione in computatione graduum attendit, & propterea secundo incipit, quia mortuo fratre, vel sorore sine liberis primo ad hereditatem vocatur pater & mater, hinc idcirco primum successione gradum constituunt, secundo vocantur frater, & soror defuncti. Et hoc jure *Instit. Nam et Novell. Iustin. De hered. ab intestato venientib. vocantur primo loco fratres, utrumque defuncto coniuncti simul cum patre ad hereditatem fratris defuncti. l. Canis. l. 2. Sum. et. 13. Schneidervin. l. 1. Instit. et. De nupt.*

\* \*  
\*